



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

XXVIII. Papst Gregor IX. ertheilt seinem Legaten den Auftrag die
Streitigkeiten der Bischöfe von Lebus, Meißen, Camin und Brandenburg,
über den Umfang ihrer Diöcesen, an Ort und Stelle zu ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

nif sine vngelt, quam de singulis rebus, que de ciuitate hammenborch ad uendendum deducunt, dare consueuerunt, conuenimus in hunc modum. De quolibet choro filiginis aut tritici duos solidos dabunt, de quo antea quatuor solidos dare consueuerant. Item de qualibet last allecis duos solidos dabunt, de qua antea tres solidos et dimidium dederunt. Item de last cupri quatuor solidos dabunt, de qua quatuordecim solidos antea dederunt. Item de lineo panno quatuor solidos dabunt, de quo antea quatuordecim dederunt. Item de quolibet vase picis uel cineris vnum solidum dabunt, de quo duos solidos antea dederunt. Item de qualibet mesa wede, cum quo panni colorantur, duos solidos dabunt, antea de decem messis marcham argenti dederunt. Item de vase sagiminis allecis quatuor solidos dabunt, de quo antea octo solidos dederunt. Item de vase sagiminis porcorum duos solidos dabunt, de quo antea quatuor solidos dederunt. Item de septem last plumbi uel stanni vnam Marcham argenti dabunt. Hec omnia, sicut prescriptum est, dabunt, si de hammenborch ad uendendum in flandriam uel alias deducuntur. Actum in castro iuxta hammenborch, Anno ab incarnatione domini M^o. CC^o. XXX^o. VI^o. mense Decembri. Huius rei testes sunt Heinricus de Barmstede, Georius aduocatus, Albero dapifer, Christianus aduocatus, Bernardus theolonus et alii quamplures. Item mercatores de marchia presentes erant, Lambertus fortis, Bernardus de heringe, Alardus de Querstede, Gerardus de vnden, Hildebolt de Soltwedele, Conradus de Soltwedele.

Nach dem Originale des Stadtarchives zu Salzwehel aus einer vom Professor Danciel mitgetheilten Abschrift.

XXVIII. Paps Gregor IX. ertheilt seinem Legaten den Auftrag, die Streitigkeiten der Bischöfe von Lebus, Meissen, Camin und Brandenburg, über den Umfang ihrer Diöcesen, an Ort und Stelle zu entscheiden, am 7. September 1237.

Gregorius etc. Episcopo quondam Mutinensi apostolice Sedis Legato. Onus suscepti regiminis nos inducit, ut omnes actus nostros per equitatis semitas dirigentes, delatis ad nos implicitis questionibus explicatis, ius suum cuique postulanti tribui faciamus. Cum igitur Ven. frater noster Lubucensis, Misnensis, Caminensis et Brandenburgensis Episcopi super limitibus suarum Diocesum, sicut conuenit non distinctis, inter se ad inuicem sepe contendant, prout eiusdem Lubucensis presentata nobis petitio continebat, et propter hoc ipsi et eorum ecclesie dampna graua sustineant et iacturas, et pericula etiam proueniant animarum; nos cupientes contentionem huiusmodi amputari, et indemnitati eorum ac animarum saluti paterna clementia provideri, negotium ipsum tue providentie, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, duximus committendum, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus personaliter ad locum accedens, vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, sic predictas diocesces, equitate preuia, provide limitare procures, cuilibet Episcoporum ipsorum suo iure seruato, quo quemlibet Statuas manere contentum, quod sollicitudinem tuam possimus exinde

non immerito commendare. Contradictores etc. Datum Viterbii VII. Idus. Septembris anno Undecimo.

Nach einer Abschrift aus dem Vatikanischen Geh. Archive Gregorii IX. Anno XI, Epist. 238.

XXIX. Die Markgrafen Johann und Otto von Brandenburg schenken dem Kloster Dünamünde in Liefland dreißig Hufen Landes in Trampitz und eben soviel in Rogelin, am 6. Januar 1238.

Johannes et Otto, marchiones de Brandenburg, omnibus hoc scriptum visuris in perpetuum, Cum principalis munificentie multi largis sepe letentur beneficiis, eorum propensiori studio succurrendum est indigentie, qui se artius diuine seruitutis cultui manciparunt. Inde est, quod vniuersis presentibus et futuris notum esse volumus, Quod ad petitionem familiarium nostrorum, Johannis et Geuehardi fratrum de Plote, jus proprietatis, quod ad nos pertinebat super triginta mansis in Trampiz itemque super triginta mansis in Rogelin cum pertinenciis eorum, quos memorati viri, Johannes et Geuehardus fratres de Plote, a nobis in feodo possidebant, abbati et conuentui fratrum de Dünemünde contulimus cum omni plenitudine potestatis. Volumus ergo vt nullus aduocatorum nostrorum nullus eorum, qui nostro parent vel posterorum nostrorum parebunt dominio, predictos abbatem et conuentum vel homines ipsorum in premissis bonis aliquo modo molestare presumat, sed liberi et absoluti ab omni coacto seruicio, privilegio sue gaudeant libertatis. Vt autem hujus nostre largitionis auctoritas inconcussam apud omnes habeat firmitatem, cum appensione sigillorum nostrorum eorum qui presentes fuerunt nominibus conscriptis, hanc paginam duximus roborandam. Testes Johannes et Geuehardus fratres de Plote, Conradus prior, Arnoldus sacerdos et monachus, Johannes, Ditmarus conuersi Dünemündenses, Ludolfus notarius noster. Acta sunt hec in Rapin, anno dominice incarnationis M^o. CC^o. XXX^o. VIII^o., VIII^o. Idus Januarii, Indictione XI^a., Regnante domino Friderico Romanorum Imperatore glorioso.

Nach dem Originalabdrucke in Dreger's Cod. dipl. Pom. I, 189. — Vgl. Meibet's Cod. Hauptst. I, Bb. I, S. 366, wo die Lage der Dünamündischen Besitzungen näher bezeichnet ist, und eine päpstliche Bestätigung über die Besitzungen des gedachten Klosters in der Mark Brandenburg vom Jahre 1235 in von Raumer's Cod. cont. I, 25.

XXX. Die Markgrafen von Brandenburg, Johann und Otto, bitten den Papst Gregor IX., daß er zur endlichen Ausöhnung mit dem Kaiser, den Bruder Conrad, des Johanniter-Ordens Meister, als Vermittler und Unterhändler zulassen möge, im April oder Mai 1240.

Reverendo domino ac patri suo G. sancte Romane sedis antistiti J. et O., dei gratia marchiones et fratres de Brandeborch, debitam cum devoto servitio reverentiam in domino Jesu Christo. Cum ex dissensione inter reverentiam vestram ex parte una et do-